Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1257

Quelle:
Copyright:

fuit in adam, ſi contrabit maculam originalem, non ita vehementer ammirandum eſt, anima vero, que ab optimo factore deo facta eſt, de corrupta non deſcendens maſſa, nec ex diſpoſitione ſua corpus illud, cui unitur, amare preſumens, ſed ex uoluntate creatoris ſui, ubi ab ipſo poſita eſt, ibi obedientiam ſuam ſeruans mirum uidetur, quare damnari debeat. Expenſis ultro citroque omnibus concluditur: *Illud pro certo affirmare poſſumus, quod leuiſſime anima punietur, ſi ante baptiſmum a corpore ſeparatur. Quod ſi baptiſmum ſuſceperit puer, mundatus eſt.* 3) poſt Articulum quendam penitus extritum exponitur Significatus biblicus verbi *Percuſſio* ita: *Percuſſionis diuerſa genera ſunt. Alia namque eſt percuſſio, qua peccator percutitur, ut ſine retractatione puniatur* &c.

VII. *fol.* 107. *In chriſti nomine Incipiunt omelie ſancti gregorij pape. In extremam partem ezechielis prophete. Omelia prima.* Videlicet, ſi poſt *Homiliam* XII. novum *Librum* II. auſpiceris, ſecus eſt *tertiadecima*, et incipit a Praef. *Quia multis curis prementibus* &c. ut edit. *Maur.* T. I. *col.* 1307. A verbis *Homil. III. col.* 1332. *Mens itaque, quae jam talis eſt, nullam praeſentis vitae conſolationem recipit*, in Codice, *fol.* 124. p. 2. transpoſitis locis oritur turbatio, quae non niſi cum *Homilia* VI. plene componitur. Ceterum Textus, quatenus contuli, non niſi in minutiis ab Editis abludit.

VIII. *fol.* 195. *Nicolaus de lyra ſuper epiſtolam ad hebreos.* Nomen *Lyrani* jam oculatior quidam eradere coepit. Eſt enim *Gloſſa ordinaria* eo vetuſtior, paſſim *Walafrido Strabo* ejusque Magiſtro *Rabano Mauro* tributa, cujus initium eſt: *Paulus doctor egregius gentium apoſtolus miniſterium ſuum volens honorare* &c. Editiones vero jam Sec. XV. coeptae.

IX. *fol.* 216. *Comentum ſuper Boetium de conſolatione.* Manus Sec. XIII. eadem cum praecedente. Init: *Boetius iſte nobiliſſimus ciuis romanus fide catholicus extitit. qui contra neſtorium et eutichen duos maximos hereticos cum non eſſet qui eis reſponderet diſputauit* &c. Parum expectes ab homine, qui *Cyrillum Alexandr. Leonem M. Petrum Chryſol. Vigilium* &c. ignoravit. Multa, quae hinc inde adfert, leguntur etiam in Commentario ſub *Thomae Aquin.* nomine jam Sec. XV. ſaepius excuſo, cujus tamen editionem principem *Norimb.* per *Ant. Coburger* 1473. f. ſplendide curatam non viderat *Quetifus.* Notat ille T. I. p. 343. duplicem ferri *Boethii* Expoſitionem *Thomae* tributam, neutram tamen ſibi videri Doctoris ſui. Neque ego aliud dicere habeo, niſi praeſentem noſtram antiquitate cum utraque illa certare. Unum obiter addo: a *Bern. Pezio* in *Diſſert. Iſagog. T. IV. Theſ. Anecdot.* p. 24. detectum eſſe autorem Verſionis teutonicae *Boethii*, quam *Coburgerus* praedictae editioni inſeruit, *M. Petrum Presb. Profeſſum Monaſte-*